



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. VII. De impedimentis matrimonii in communi,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

Demum cum eodem sancto Doctore ibidem articulo quarto colligitur, peccare conjuges in actu conjugali, saltem venialiter, nisi conveniant causâ procreandæ proles, aut debiti reddendi. Idem docet Augustinus libro de bono conjugali capite sexto his verbis: *Conjugali contubitus generandi gratiâ, non habet culpam: concupiscentiâ verò faciendâ, sed tamen cum coniuge, propter fidem thori, veniale habet culpam.* Et capite septimo. *Reddere debitum conjugale (inquit) nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, est culpa venialis.* Et libro secundo contra Julian, capite decimo dicit, coniuges contrahere unde quotidie dicant, *dimitte nobis debita nostra, quando modum generationi necessarium causa solius voluptatis excedunt.* Similia habet Gregorius Magnus duodecimo Moralium capite decimo septimo, aliâ vigesimo, ubi hæc scribit: *Tunc solum coniuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipiendâ prole miscantur.*

Observandum etiam est cum sancto Thoma hic articulo sexto, peccare mortaliter eum qui cognoscendo uxorem, non intendit aliquod bonum matrimonii, ita scilicet ut aliquis in conjugio non attendat, quod conjux est, sed solum quod mulier, paratus idem facere cum ea, si non esset conjux. Eoque sensu intelligendum est, quod dicitur Tobie sexto. *Hinc amque qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suâ libidine ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem demonum super eos.* De his etiam loquitur Hieronymus, cum ait libro primo adversus Jovinianum: *Nihil interest quàm ex honesta causa quis in sancto. Unde & Christus in sententiâ: Adulter est in sua uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimis Sapiens vir iudicis debet amare coniugem, non affectu. Regit impetus voluptatis, nec præceptum feretur in coitum. Nihil est sanctius quàm uxorem amare quasi adulteram.*

DISPUTATIO VII.

De impedimentis matrimonii in communi.

Ad quest. 50. supplementi.

Explicatâ essentia matrimonii, ejus causis, & proprietatibus, tribusque bonis quæ secum affert, quibus tria mala seu nocumenta quæ infert, reparantur; superest ut de impedimentis matrimonii differamus, sed antequam de illis in particulari agamus, & quæ sint impedimenta prohibentia ac dirimentia exponamus, prius declarandum est, apud quem resideat potestas talia impedimenta constituendi. Unde sit

ARTICULUS UNICUS.

Penes quem sit potestas apponendi impedimenta matrimonii?

Hæretici hujus temporis negant hanc potestatem esse penes Ecclesiam: plures verò ex

Catholicis existimant, Principes Christianos non habere potestatem statuendi sui subditis delibus impedimenta matrimonii dirimentia. Ita Canonista, D. Bonaventura, Richardus Paludanus, Pontius, Sylvius & alii. Oppositum docent Dominicus, & Petrus Soto, Bellarminus, Henricus, Coninck, Sanchez, & alii.

S. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

Dico primò, esse in Ecclesia potestatem ad constituenda impedimenta matrimonii dirimentia. Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 24. can. 4. ubi fecit anathemate Novatores dicentes Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonii dirimentia, vel in illis constituendis transisse. Et in decreto de reform. matrim. cap. 1. irrita de facto eorum contractus, qui post debitam illius decreti promulgationem clandestinè contraxerint. Item ante Tridentinum in Concilio Provinciali Senonensi sub Clemente VII. in decretis fidei cap. 17. inter errores damnatos reterunt iste, *Ecclesia non potuit illegitimare aliquos per se, si quod non possint contrahere matrimonium.* Contrariam ex consuetudine Ecclesie universalis contra quam disputare in solentissimi est infamia, ait Augustinus Episcopus. 118. illa enim matrimonio multoties impedimenta constituit, ut ex his quæ infra de unoquoque impedimento dicemus manifestum erit.

Ratio etiam suffragatur: Cum enim pax & tranquillitas Reipublice magna ex parte ex bene initis connubiis pendeat, & contra ex male copulatis conjugibus magna in ea turbatio oriri soleat, in omni Republica bene ordinata, necessaria est potestas ad providendum abutibus quæ in matrimoniis possunt contingere, & statuendi matrimonio impedimenta, quibus statibus, validè contrahi nequeat. Ergo talis potestas non debet denegari Ecclesie, quæ est Respublica bene ordinata, ne deteriori conditioni sit, quàm reliquæ seculares quæ hanc potestatem habent, ut ex variis earum legibus de ritu nuptiarum constat. Idque confirmat prædicti ipsorum hæreticorum, qui quamvis aliqui contra Ecclesie prohibitiones & constitutiones matrimoniales declament; aliqua tamen constituunt impedimenta matrimonii, quæ neque jure naturali neque divino posita erant, ut in Genens Ecclesie statuta videre est.

Hæc verò potestas Ecclesie non se extendit supra infideles sibi non subiectos, ut constat ex cap. *Gaudemus* de divortio, ubi Innocentius III. docet, paganos legitimum contrahere matrimonium in gradibus ab Ecclesia prohibitis, quippe qui constitutionibus Canonum non assentiant, ut ait Pontifex. Idque confirmat ex illo Apostoli 1. Cor. 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicant?* Sunt tamen aliqui qui etsi existimant impedimenta matrimonii hæcenus ab Ecclesia statuta, ad infideles non se extendere, quandoque moriuntur infidelibus Principibus subiecti, censent nihilominus ad eos extendi, statim ac fiunt Christianis Principibus subditi, eò quod (inquit) quodammodo subdiciantur Ecclesie, hoc ipso quod fiunt subditi Christianis Principibus. Ita Ledesma apud Sanchez lib. 7. disp. 7. nu. 1. Opus.

positum tamen videtur probabilius, cum Ecclesia nec in eos habeat jurisdictionem temporalem, nec spirituales; omnis enim spiritualis jurisdictio quam Ecclesia habet in homines, fundatur in charactere Baptismali, qui sicut est homini primus aditus ad Religionem Christianam ingressum, ita & primum fundamentum per quod subijcitur Ecclesiae.

Confirmatur: Matrimonium infidelium Christianis Principibus subditorum, non est sacramentum, sed tantum contractus civilis: Atqui contractus civiles infidelium non subduntur Pontifici, sed Principi saeculari: Ergo & matrimonia.

6 Dico secundò, Principes fideles potestatem habere statuendi suis subditis fidelibus impedimenta matrimonium dirimentia. Ita S. Thomas in 4. dist. 34. quæst. unica art. 1. ad 4. ubi sic ait: Matrimonium, in quantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ; in quantum est sacramentum, statuitur lege divini; in quantum est in officium communivitatis, statuitur jure civili; & idè (concludit) ex qualibet directione legum potest aliqua persona esse ad matrimonium illegitima. Et rursus 4. cont. Gent. cap. 78. sic dilucit: Considerandum est, quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, videtur habere diversam dirigentiam in finem, quia finis est proportionatus agentis: generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei, & ad perpetuitatem alicuius boni politici, puta populi in aliqua civitate, ordinatur etiam ad perpetuitatem Ecclesie, quæ in fidelium collectione consistit, unde oportet quod huiusmodi generatio à diversis dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem à natura inclinantem in hunc finem, & sic dicitur esse natura officium. In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subiacet ordinationi civilis legis. In quantum autem ordinatur ad bonum Ecclesie, oportet quod subiaceat regimini Ecclesiastico. Quibus locis S. Doctor conclusione nostram & docuit & probavit. Matrimonium enim non solum est sacramentum, in bonum Ecclesie, & fidelium sanctificationem ordinatum, sed etiam contractus civilis, ordinatus in bonum politicum, & in officium communivitatis. Sed contractus civiles, juri civili, & Principem saecularium legibus subijciuntur: Ergo & matrimonium, subinde quæ Principes fideles potestatem habent statuendi suis subditis fidelibus, impedimenta matrimonium dirimentia. Nec talem potestatem ab eis Christus abstulit, cum matrimonium ad dignitatem sacramenti evehit, sed potius eam præsupposuit, non minus quam præsupposuit contractum valde inritum, ut materiam huius sacramenti. Quemadmodum ex eo quod Christus verba ex hominum placito significantia, evehit ad rationem sacramenti, non abstulit à Republica potestatem illam quoad significationem mutandi, & alia idem significantia, eorum loco substituendi.

7 Advertendum tamen, quod licet in Principibus Christianis sit potestas statuendi suis subditis fidelibus impedimenta matrimonium dirimentia, ea tamen non utuntur, vel quia, ut ait Petrus Soto lect. 4. de matrim. ex sua pietate talem usum Ecclesie sponte cessarunt; vel ut alii volunt, quia Ecclesia iussu de causis usum talis potestatis sibi reservavit, adeò ut nullum censetur matrimonium invalidum, nisi ecclesia illud ut tale iudicaverit. Unde Tridentinum sess. 24. ultimo definit causas matrimonii spectare ad Iudices Ecclesiasticos. Quod non solum intelligitur de cau-

sis spectantibus ad matrimonia jam contracta, sed etiam antequam sint contracta, an scilicet expediat cum his vel illis solemnitatibus contrahi, vel hæc aut illa impedimenta apponere. Sicut non solum ad forum Ecclesie pertinet, iudicare an contractus jam initus sit usurarius, vel simoniacus, sed etiam, an expediat, ad vitandam paliam usuram vel simoniam, certas ei leges præscribere. Unde multa impedimenta matrimonium dirimentia, in jure civili statuta, per leges canonicas revocata sunt, ut matrimonium à filio familias sine consensu patris contractum l. filius familias ff. de ritu nuptiarum, & inter tutorem & pupillam, l. Tutor, de sponsalibus. Contra verò aliqua jure Canonico induta sunt, quæ jure civili matrimonium non dirimunt, ut matrimonium contractum inter consobrinum & consobrinam inter avunculum & neptem, & alia plurima; quia nimirum potestas temporalis subordinetur spirituali & supersæaturali, quam Christus concessit Ecclesie.

§. II.

Corollaria præcedentis doctrina.

8 Ex dictis colligitur primò, quod si aliqua leges sine in aliquo regno irritantes matrimonium, maxime si ab initio regni vim habuerint, scientibus & non contradicentibus Summis Pontificibus, de facto illas valere ad irritanda matrimonia. Si enim consuetudo legitime præscripta, vim legis habeat in rebus aliis etiam Ecclesiasticis, ut patet ex eap. Cum olim de Clerico conjugato, cur non in matrimonio, de quo etiam specialiter id affirmatur in cap. Super eo de cognat. spirit. ubi dicitur matrimonium inritum contra receptam consuetudinem patris esse dirimendum; quia nimirum ab initio fuit inritum, cum consuetudo nullam vim habeat dissolvendi matrimonium legitime inritum, eò quod ejus vinculum sit juris naturalis & divini.

9 Colligitur secundò, posse Principes fideles suis subditis infidelibus statuere impedimenta matrimonium irritantia. & idem dicendum de Principibus infidelibus, etiam respectu fidelium sibi subditorum; cum enim talia matrimonia sint contractus civiles, in bonum politicum, & officium communivitatis ordinati, juri civili, & Principum sive fidelium sive infidelium legibus subijciuntur. Unde apud multas barbaras nationes connubia inter alienigenas prohibita & invalida sunt.

10 Colligitur tertio, Principes, sive Ecclesiasticos, sive saeculares, non posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, nisi iusta & rationabili causa id exigente: quia potestas humana, sive Ecclesiastica, sive saecularis, non potest sine causa restringere jus naturale, quod quisque habet contrahendi matrimonium, modo sibi à natura permissum; neque potest de re tanti momenti, quæ est matrimonium, pro mero suo arbitrio dispendere. Unde Tridentinum sess. 24. decreto 1. cap. 1. irritare volens clandestina matrimonia, affirmavit se id facere, propter gravia incommoda & peccata, quæ ex huiusmodi matrimoniis ortum habebant; frequenter enim contragebat, ut qui clam matrimonium cum una contraxisset, & consummasset, postea coram, sed invalidè, contrahebat cum altera, cum qua per totam vitam in perpetuo adulterio vivebat.

Col;

11 Colligitur quartò, posse Ecclesiam alicui in particulari interdicare matrimonium cum certa persona, iustà & rationabili causà id exigente: Si enim potest ex causà rationabili interdicare & irritare matrimonium generaliter, inter confanguineos v. g. vel affines, usque ad quartum gradum, & olim usque ad septimum: quidni etiam existente tali causà poterit irritare specialiter inter duas certas personas, & impedire ne validè contrahant? Putà, quia ex tali contractu oritur magna dissidia inter parentes, vel fieret gravis injuria alicui, tertio, vel grave damnum Reipublice immineret. Potest etiam Ecclesia, in poenam delicti, aliquem penitus inhabilem reddere ad quodecumque matrimonium, eumque privare jure naturali quod habet matrimonium contrahendi: sicut potest in poenam criminis aliquem libertate naturali privare, detinendo in carcere perpetuo, vel etiam virà ipsà spoliare.

12 Colligitur quintò, fideles, ubicumque existant, teneri servare leges Ecclesiasticas matrimonium prohibentes vel irritantes; quia licet versentur in terris infidelium, non desinunt esse subiecti Ecclesiae. Imò quamvis fiant Apostatae, & ad errores moresque infidelium transeant, semper retinent characterem Baptismi, & subjectionem potestati Ecclesiae, quam non possunt abjicere. Infideles verò in terris fidelium existentes, non tenentur servare leges Ecclesiae prohibentes aut irritantes matrimonium, quia non sunt subiecti potestati Ecclesiae: unde possunt licitè & validè contrahere, servando leges Principum saecularium quibus subsunt.

13 Colligitur sexto, graviter peccare fideles, qui cum aliquo impedimento ab Ecclesia statuto matrimonium contrahunt; quia fit contra prohibitionem Ecclesiae in re gravi, & si impedimentum sit dirimens, sacramentum inde redditur irritum. Unde peccatum eorum qui scienter & sponte contrahunt cum aliquo impedimento dirimente, ab Ecclesia statuto, communiter triplicem deformitatem habet; unam impedientiam contra praeceptum Ecclesiae; alteram sacrilegii contra religionem & reverentiam debitam sacramento, quod suà culpa irritam reddunt; tertiam contra castitatem, ordinandam talem contractum ad habendam copulam, praeteritum veri matrimonii.

§. III.

Solvuntur objectiones.

14 Contra praecedentes conclusiones, & corollaria inde deducta, obijciunt haeretici, quod si auctoritas humana, Ecclesiastica, vel saecularis posset apponere matrimonio impedimenta dirimentia, quae Deus ipse non apposuit, homo separare posset quae Deus coniungit, contra illud Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet.

Sed facile responderetur, negando sequelam, Deus enim non coniungit per matrimonium nisi eos qui legitime contrahunt, quales non sunt illi quibus iusta de causà, ab Ecclesiastica vel saeculari potestate, appositum fuit impedimentum dirimens, quo reddantur inhabiles ad contrahendum.

15 Potest insuper obijci, quod nulla potestas humana, etiam Ecclesiastica, potest mutare materiam vel formam sacramentorum: Si verò posset Ecclesia statuere impedimenta matrimonium

dirimentia, posset mutare materiam huius sacramenti, quia posset irritare contractum aliquem legitimum, qui contractus est materia sacramenti matrimonii, à Christo instituta.

Verum huic difficultati objectioni abundè satisfecimus disp. 4. art. 3. §. 11. ibi enim ostendimus, quod licet Ecclesia non possit mutare materiam sacramenti matrimonii formaliter, id est efficere ut alia sit materia huius sacramenti, quàm contractus legitimus; bene tamen materialiter, efficiendo scilicet ut contractus qui antea erat legitimus, non sit amplius legitimus. Sicut quidem mutaretur vel corrumpere quàm vel vitium, efficeret ut non essent amplius materia Baptismi vel Eucharistiae, subindeque horum sacramentorum materiam, non formaliter, sed materialiter tantum immutaret. Vel sicut si Ecclesia, vel Reipublica saecularis, per novam institutionem mutaret sensum horum verborum, *Ego te baptizo*, in alium plane diversum, & alia ad idem significandum eorum loco substitueret, mutaret quidem materialiter formam Baptismi, sed non formaliter; quia semper sciret, quod verba quibus externa corporis ablutio significatur, essent forma huius sacramenti, à Christo instituta.

DISPUTATIO VIII.

De impedimentis prohibentibus.

Ad eandem quasi 30. supplementum.

Impedimenta matrimonii alia sunt quae dicuntur impedientia tantum, quia scilicet impediunt, ne matrimonium licitè contrahatur. Contra contractum tamen non irritant. Alia vero sunt, quae dirimentia appellantur, non quod matrimonium jam factum & validè contractum dirimant, ut ipsi termini significare videntur; contra stat enim ex dictis disp. 5. matrimonium semel validè inter Christianos contractum, per solam professionem Religiosam, id est ante consummationem, de facto dirimimus, quia efficiunt, ut non dum illicitè, sed etiam invalidè, matrimonium contrahatur; ita ut cum aliquo ex his impedimentis contrahentes, separari debeant, aliter non validè contrahant. De primis impedimentis, breviter hic agemus, de aliis vero paulo fusiùs disp. sequenti differemus, quia circa illa maiores extant difficultates & controversiae.

Impedimenta ergo primi generis communiter numerantur duodecim, quorum aliqua ex parte naturalia, alia ex positivo oriuntur: quaedam ex crimine ortum ducunt, alia verò ex aliis causis proveniunt. Quinque prima, quae non oriuntur ex crimine, sed ex alia causà, his verbis comprehenduntur:

Ecclesia verum, nec non tempus scriptum,
Atque Catechismus, sponsa, in voto positum,
Impediunt fieri, permittunt scilicet non.

Alii verò septem, quae oriuntur ex crimine, comprehenduntur istis:

Incestus, raptus, sponsa, mors mulieris,
Susceptus proprius solum, mors presbyteralis,
Vel sponsum, sollemniter, aut mortalem
Accipiat: prohibent haec coniugium fecundum.